

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

humilietur, aut reprimatur saltem, in tot præsertim ordines imperii injurius. Sed hæc nimirum tu plenius omnia explorata habes. Tractatus de pace inter Cæsarem & Gallum, in spongiam abiisse dicitur. Atq; ea pro dolor tempora sunt ut neq; bellum torerabile, neque pax salutaris fore videatur. Ad eodè vexantur spiritu vertiginis supremi monarchæ, ob pertinacem nimirum populi impenitentiam. Sed vale: in Christo cum tuis omnibus, Domine & frater unice mihi colende. Basil. prid. Cal. April. Anno 1555.

T. Sulcerus.

XXIX.

Sæpe de te, mi suaviss. Marpachi, deq; Ecclesiâ vestrâ cogito, eodè quod te Antistitem insigniter cum tuis sudantem ad temonem remosq; video, & illam ceu in falo quodam, miserè & satis cum periculo huc illuc fluctuantem, quæ res & vobis laborem augeat, & tempestatem, satis perspicio. Non novum illud quidem, sed deplorandum malum. Quo ut merito ob fraternam compassionem perturbor, ita vicissim vehementer me recreat, quod statum vos animi fixum in Domino retinetis, perspicuitate alacritateq; doctrinæ contra Antichristi regnum pugnatis, indictâ ad reliquos vobis sanctâ patientiâ, & æquanimitate, veris Christi servis dignâ, qua certum est, triumphum paulò post per Dominum reportaturos. Ut ergo, cum meis ego, vestris laboribus afficior, sic quod unum possum orationibus nostris ad Dominum piensissimos conatus sanctaq; studia, juvare insisto. Libens interim meam operam præstiturus, si quam ulla occasione queam præstare. De Gallicanæ apud vos Ecclesiæ ministro, miror ut res habeat, & qua ratione vobiscum in doctrina religionis convenerit? Sed forsân ille ex sanioribus est. De Tossano fama certè falsa evulgata est, ceu ille monstra Servetanæ hæreseos vel clam vel publicè foveat. In græ enim ille probatæq; doctrinæ semper fuit & est hodie; odioq; à quibusdam in hanc suspicionem tractus est. Primum ex eo, quod cum Serveto voluisset non ad eodè ad ignes properatum, sed carceribus potius perpetuis coercendum. Qua tamen in re facile satisfieri sibi vel à me solo passus est, ut factum deinde non improbarit. Deinde quod ex confratribus quendam non cura veritatis ejiciendum illico, qui ut veritatem eliceret solidius, de industria contrariis argumentis, aliis quibusdam se opposuisset, vera affirmantibus, idq; calore (ut sit) disputationis provectus paulò fecisset vehementius & importunius. Qui tamen super eâ re interpellatus, sanctè restatus est, quæ adduxisset, à se non solum non probari, sed extremè etiam damnari, doctrinæ Christianæ receptæque articulos singulos, & professum esse hæctenus annis compluribus & professurum ad mot-

ad mortem: tum ab ejusmodi genere disputationum facillè sibi deinceps temperaturum. Unde factum, ut pii, deq; Ecclesia optimè meriti fratris purgationem admiserit non Toffanus solum, sed Princeps etiam Georgius, Comes à Wirtemberg, cum consiliariis: & Schradinus noster. Quo nomine etiam praefectus Montpelgardensis, Joh. Höcklin, vir singulari pietate, Zeloq; Dei insignis, rei historiam mihi de industria voluit explicare. Et Principis atq; Schradini literis etiam Blaurerus hac ipsa de causa interpellatus est, apud quem delatus per invidiose Toffanus potissimum fuerat. De eventu Comitiorum aliquid spei fuit, sed, quantum intelligo, artibus suspensus in ventum abiit. Interea tamen aliquor boni animos sumpserunt, ad aperiendum ostium Evangelii Christo, quod clausum hæctenus fuerat. Sic enim quidam apud Suecos Comes & Nobilis prope Memmingam fecisse dicitur: quo etiam confrater noster Valentinus Boltz, his diebus vocatus concedit, ut in pagis aliquot Christum doceat, eoque nomine à Nostro Magistratu missionem facile per intercessionem Domini ejus loci impetravit. Sed jam vale, cum ux. D. Ludovico, & Symmiftis atq; Professoribus, quos cupio meis verbis reverenter salutes. Basil. 27. Augusti Ao. 1555.

T. Sulcerus.

*Salutant te mei Symmista amanter omnes & Academia
nostra Proceres.*

XXX.

S Ottomannus hic, vir clarissimus doctrina & pietate ad vos cum suis concedit, quem gaudeo civitate donatum, quia constantis fidei & synceritatis indicia ab annis jam octo, quibus mihi notus est, egregia dedit, ut sperem deinceps etiam bonis omnibus sese adprobaturum. Comendarem ergo eum tibi pluribus, nisi tua sponte erga illum te per singularem benevolentiam ferri, abunde scirem, ut qui nuper etiam liberaliter declarasti, quam veræ charitatis visceribus illum complexus sis. Literas tuas cum desiderio exspecto, quibus de spe vestra edocear. Nam de Comitiorum eventu alii aliter scribunt, & nescio quid de novo consilio ab Evangelicis ordinibus suscipiendo augurantur quidam. Tu si quid habes quæso comunica, sed & de valetudine D. Ludovici Rabi, quam adversam non nihil cum dolore nuper acceperam, eoque nomine Christum precor, ut Ecclesiæ restituatur misericorditer. Salvum illum jube meis verbis amanter & reverenter unà cum reliquis fratribus. Vale Basil. prid. Cal. Octobris Anno 1555.

Tuus

Simon Sulcerus.